Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2109
Quelle:
Copyright:

tuit, et non ſolum apoſtolorum et martirum ſed etiam ſancte trinitatis et omnium angelorum &c. Nota *Gregorium* ἀντιθετικῶς *minorem.* Ad calcem:

Qui me finiuit Vlricus paucula ſciuit.

Hoc briuiarium eſt domini (nomen eraſum, lego tamen) *Gottardi Veri plebani in S. Veito. Et eſt finitus ab incarnatione domini Milleſimo Tricenteſimo Sexageſimo quarto Per manus Vlrici quondam Notarij Johannis Ciuis uoue Ciuitatis.*

DCCCLXIX.

U. 371 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 474. 4. priore parte luculento, parte altera minore, ſed utroque nitido charactere perſcriptus, et rubricis illuſtratus *Breviarium* eſt, quod officium Chori per anni decurſum hoc ordine complectitur. *Calendarium*, quod e Sanctorum nominibus ad *Germaniam*, et e miniata ad diem 3. Aug. *Inuencione S. Stephani protbomartiris*, ſequentique *Translacione S. Ualentini* ad Dioeceſin *Patauienſen* referas, Pſalmodiam de Tempore, Litanias OO. SS. Indigetibus *Germaniae* refertas, Hymnarium multa exoleta continens, Vigilias Mortuorum majores et minores, Proprium Feſtorum Domini et Sanctorum a Pentecoſte uſque ad Adventum, unde patet Codicem hunc non niſi dimidium eſſe totius *Breviarii*, demum Lectionarium Biblicum, et Officium de SS. commune. Atque ex hac ſerie liquet, quantum hodierna Officii ſacri diſpoſitione moleſtae dicendorum conquiſitioni parcatur.

DCCCLXX.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 119. f. charactere atro, craſſo luculente perſcriptus duabus columnis, minioque diſtinctus *Liturgicus* eſt, pertinens olim ad Eccleſiam cath. *Strigonienſem* in *Hungaria.* Init a *Calendario* miniatorum Feſtorum perquam ferace, et multorum ſacrorum Hominum ejus Eccleſiae diebus emortualibus a diverſa manu uſque ad Sec. XVI. notato, additis etiam quorundam piis Legatis. Hos inter 1. *Febr.* obitus *Dionyſii de Zecz, Card.* Archiep. 1465. 20. ejusd. *Demetrii SS. quatuor Coronator. Card.* Archiep. 1387. 30. *Maji Johannis* Archiep. 1418. 1. *Jul. Nicolai de Themeſwar* Cantoris, Praep. de Caſtro *Strigon.* et Auditoris Cauſſar. Concilii *Baſil.* 1457. 8. *Aug. Johannis* Archiep. 1472. 11. *Sept. Lodovici* Regis 1382. 1. *Dec. Thomae* Archiep 1375. Atque ultimum iſtud eadem manu, qua *Codex* ipſe, ſcriptum eſt, unde totus ad illum annum revocandus. Ceteri Praepoſiti, Canonici, Praebendarii ſunt. *Calendarium* excipit Benedictio Salis et Aquae, Capitulare R. 9